




LI
BRO
LIBER
G H

Diverses pièces adressées à Louis XIII & au Cardinal de Richelieu, au sujet de la Prise de la Rochelle par Pierre Valens professeur de grec au Collège de France.

Sur cet auteur, V. les Mémoires du P. Niceron t. XXXVI. p. 382

et Mémoire de l'A. Goujet sur le Collège Royal, in-12. t. I. p. 539.

V. P. Lelong nos 47240-41.



ELOGIA

ÆTERNÆ MEMORIÆ


LVDOVICI XIII.

FRANCORVM ET NAVARRÆ Regis Chriſtianiſſimi Iuſti, Pij, Felicis perduellium Domitoris inuictiſsimi, Franciæ pacatoris clementiſsimi, Religionis auitæ vindicis acerrimi, Priſtinæ Maieſtatis Franciæ Aſſertoris vnici, Muſarum Herculis fortiſs.

PETRVS VALENS *Profeſſor Grec. Literarum Regius regiæ Maieſtati nomini que deuotiſsimus conſecrat.* D. D. D. *Ob captam Rupellam, ob auctum conſeruatúmque Francicum Imperium.*

PARISIIS,
Ex officina ROBERTI STEPHANI.

M. DC. XXIX.



ELOGIA.

I.

HÆc de concisis LODOICVS signa Britannis.

II

Insons Xantonico REA cernitur insula Ponto

Hæc Regi nostro posuit præclara Trophæa.

III.

Rex noster dura tandem de rupe triumphans,

Expulit Oceano victor virtute Britanos.

IV.

Ingentes moles Rupellæ Disijcit vrbis

V

Inuicto Regi pulchris victoria pennis
Cessit, & æthereis nitidum caput intulit
astris.

VI.

Rupellæ diras patiens rex occupat arces.

VII.

Rupellæ Iusti lucet clementia Regis.

VIII.

Parcere subiectis, & debellare superbos
Rex nouit sapiens, & Pacis dicere leges.

IX.

Aurea Rex noster LODOICVS *Sæcla*
reduxit.

X.

De dura statuit LODOICVS *Rupe*
trophæa.

XI.

Inuicti regis decus & Patientia duris
Spectata in rebus, cœlo caput extulit alto.

XII.

Victa manus tandem Regi dat perfida
rupes.

XIII.

Quod rediit Pietas, & finibus exulat
(error

Inuicti Regis LODOICI *gloria Iusti est.*

XIV.

Sæua sedens super arma fremit Mars victus ab armis
Inuicti Regis, victus fremit ore cruento.

XV.

Inuicti regis pia tẽpora laurus obumbrat.

XVI.

Rupellæ captæ LODOICO *debita Palma.*

XVII.

Præradiat pulchris Rex victor pulcher in armis.

XVIII.

Neptunus sæuum Regi offert, ecce tridentem.

XIX.

Victorem regem, Tritones voce salutãt.

XX.

Longæuus Nereus & vasti numina Põti.
Victorem regem agnoscunt & cærula Thetys

XXI.

Victrix pulchra manus Fert aurea vellera Regis.

XXII.

Neptuni duris plorat vis vincta cathenis.

XXIII.

Aligeræ mentes huc ad nos æthere lapsæ
Victorem regem viridanti fronde coronant.

XXIV.

Obuia victori populosa Lutetia regi
Insigneis celebrat de capta rupe triumphos.

XXV..

Si quis labentes cernat de rupibus arces
Æstimet inuicti Principis inginio.

XXVI.

Si quis Neptunum constrictum forte videbit,
Æstimet inuicti Principis ingenio.

XXVII.

Miratur quisquam victos virtute Britannos?
Æstimet inuicti Principis ingenio.

XXVIII.

Iustitiam niueis cœlo descendere pennis?

Æstimet inuicti Principis ingenio.

XXIX.

Quod sancti mores, & prisci gloria sæcli
Florent, hoc tribuat Principis ingenio.

XXX.

Quod modò resplendent Francorum lilia: quidni
Inuicti adscribas Principis ingenio?

XXXI.

Relligio, pietas, & auita modestia rursus
Missa polo? tribuas Principis ingenio.

XXXII.

Ob ciueis Regi seruatos pulchra corona
Quernea debetur cunctos mansura per annos.

XXXIII.

Quis neget inuicti Rupellæ mœnia captæ
Deberi pulchro Principis ingenio?

XXXIV.

Errores pulſos, expulſos vrbe miniſtros
Annon laus noſtro hæc eſt tribuenda duci?

XXXV.

Lætitiâ ludiſque viæ, plauſúque frementeis
Annon debentur Principis ingenio?

XXXVI.

Quod modò collucent accenſis vndique flammis
Lumina, non iuſto LODOICO *hæc gloria parta eſt?*

XXXVII.

Quod niueis cœlo venit victoria pennis;
Annon inuicti Principis ingenio?

XXXVIII.

Quod modò fama volat totum vulgata per orbem
Rupellæ captæ, nonne hæc eſt gloria noſtri
Victoris, virtute viam qui affectat olympo?

XXXIX.

Aurea quod rurſus de cœlo ſecula ſcandunt,
In terras, nunquid Lodoici *hæc gloria Iuſti?*

XL.

Quod modò pulchra Iouis de cœlo filia ſcandit
In terras, viſitque homines, atque aurea ſecum
Tempora ſublimi reuehit pulcherrima curru
Annon hæc Iuſto tribuenda eſt gloria Regi?

XLI.

Quod modo ſtat recto pulcherrima Francia talo,
Numquid laus hæc eſt ô Lodoice *tua?*

XLII.

Quod modo Rupellæ vrbs paret Regíq; Deóque
Et ſacra maiorum relligioſa colit;

Hanc laudem acceptam cui quæso Francia debet?
Annon auspicijs Rex generose tuis?

XLIII.

Quod modò cana fides, pietas, atque inclyta virtus
Enitet in Regno; hoc non LODOICE *tuum est?*

XLIV.

Quod modo Francorum pulcherrima lilia florent;
Lapsa polo, numquid laus LODOICE *tua est?*

XLV.

Quodque Asia, Europa, & Libya caput exeret astris
Christi sancta Fides, hoc LODOICE *tuum est.*

XLVI.

Ottomanna domus, violentáq; sceptra Tyranni,
O LODOICE *breui sub tua iura cadent.*

XLVII.

Inclyta Francorum ſupra Garamantas & Indos
Gloria tranſcendet, Gallica ſceptra colent.

XLVIII.

Fama decúſque, tuum quò currit ſidus vtrúmque,
Diſpergent radios, & tua ſceptra colent.

XLIX.

Toto orbe adſpicient LODOICI *erecta trophæa*
Supra Indum & Gangem bellica facta legent.

L.

Virtutiſque tuæ manes ventura ſub imos
Fama coronatis pulchra triumphat equis.

LI.

Quaſſa quod Armorico claſſis natat Anglica Ponto,
Quod diſiecta mari fluctuat Oceano;

Victorique pio, fausto Patriæque parenti
E castris reduci, & deuincto tempora lauro
Ei ſtatuas ſtatuas paſſim, pulchráſque columnas
Erige, & inſigni verſu celebrato triumphos.
Quantus Io ſanctas, populi conuentus ad aras,
Quæ modo pro Domino vota precéſque facit.
En quos victori parat vrbs hæc clara triumphos?
Ecce omnis ætas, pueri iuuenéſque ſenéſque
Occurrunt Regi, Regi omnia fauſta precantes.

LIX.

In templo matres, pueri, innuptæque puellæ
Acturæ grates, thura precéſque ferunt.

LX.

Plebs, populus, equites venerandíque ordo Senatus:
Pro Domino reddunt vota precésq; Deo.

LXI.

Prætor & Ædiles rutilo mirantur in ostro
Victorem Regem, regi gratantur in ostro.

LXII.

Tympana rauca sonant, tota concurritur vrbe
Vt Regem spectent, Regem clamore salutent.

LXIII.

Auditur clamórque virum, clangórque tubarum.

LXIV.

Adclamant omnes felicia cuncta precantes
VIVAT REX, VIVAT, *multos feliciter annos.*

LXV.

Viue Deo, Rex viue tibi, Rex viue tuiſque
Priſca refloreſcet Francorum gloria: Proles
Ex te naſcetur pulcherrima, maxime regum
Quæ pulſis longè vitijs, & fraude maligna.
Pacatum Patrijs ſeruet virtutibus orbem.



AD ILLVSTRISSIMVM CARDINALEM D. D. I. ARMANDVM DE RICHELIEV.



QVI glasto crepuêre fero tincti ora Britanni,
Mansueti positâ nunc feritate silent.
Obsequium Rupella subit maciata, suoq;
supplice dat Regi terga premenda genu.
Felices Galli tanto sub vindice, cuius
Auspicio feritas pulsa, leuata fames.
Fumea Gens, Pardisq; tuis maculatior ipsis,
Desine fœmineâ bella ciere manu.
Puniceus si Cardo tuis est fortior ausis,
Æquora nequidquam Gallica puppe secas.

I. MOLANVS.
Cliens deuotissimus.



IN ORATIONEM P. VALENTIS GRÆCARVM literarum Professoris Regij de Rupellanâ deditione Epigramma extemporale.

Perfidiam hîc Rupella tuam, tua funera cerno,
Quidquid & obsequij lex, violata tulit.
Cuncta tamen dum cerno, famem non cerno: VALENTIS.
Non habet vbertas ingeniosa famem.

I. MOLANVS Theol. Hist. & Eloquentiæ Professor.



EPISTOLA REGIS CHRISTIANISSIMI LVDOVICI XIII. Ad Prætorem Ædiléſque vrbis Pariſ.

De recepta vrbe Rupella.

TANDEM poſt diuturnas moras, Deus Opt. Max. ſummo beneficio ſuo effecit, vt votis, optatíſque felicis euenti potiremur. Ciues & incolę vrbis noſtræ Rupellanæ ad clementiam noſtram confu-

gientes,in oculis,conſpectúque Anglorum ſe nobis dediderunt. Et licèt ſpem magnam hactenus in fide, & ſuppetijs illorum collocarant,nos tamen vt ſubditos eos benignè accepimus : Delictorum præteritorum (etſi ſeriùs) valde eos pœnitet : impoſterum verò fidem ſanctam obſequiúmque promittunt, ac ſpondent. Hoc die copias, cohortéſque noſtras in prædictam vrbem noſtram immiſimus, eo animo, eo conſilio, vt & nos intra biduum in eam ingrederemur : cuius rei, conſilijque per Equitem noſtrum Sainctſimonium, quem eas ob cauſſas ad vos miſi-

mus, vnà cum capitibus conditionibúſque ciuibus ijs latis, ac conceſſis, certiores vos reddere voluimus; ex quibus quid potiſſimum in hoc recepto loco conſiderandum ſit docebimini: Ex qua deditione quin vt boni fideléſque ſubditi, incredibilem lætitiam, ac voluptatem hauſturi, Deóq; vnà cum reliquis ſubiectis noſtris, pro ope, auxilióq; in re tam ardua, & difficili nobis præſtito, cum ſumma alacritatis, ac lætitiæ ſignificatione otij, ac tranquillitatis publicæ regníq;, gratias acturi immortales ſitis, non dubitamus. Ex caſtris ad Rupellam. Pridie Kal. Octobr.

Anno M. DC. XXIIX.
Subſcriptum LOVIS, & inferiore loco,

LE BEAVCLERC.



AD ILLVSTRISSIMVM CARDINALEM D. D. I. ARMANDVM DE RICHELIEV.

QVOD *votis omnibus omnes boni, & patriæ Regísque sui amantes optarunt hactenus,* CARDINALIS ILLVSTRISSIME, *id summa Dei Opt. Max. bonitate bene felicitérque euenit. Pertinaciæ rupes à tot annis rebellans, cunctando tandem in manus Domini sui recidit. Qua in re quanto vsui Regi nostro Christianiss.* LVDOVICO *tua fue-*

rit MENS, *tuúmque ſalutare conſilium, omnes literæ, & linguæ loquentur. Cognitum modò omnibus eſt, quanti ſit vnius viri in conſilio ſapientia, cognitum profectò vnum Neſtorem plurib. Aiacibus multò plus potuiſſe. Cōſilijs tuis,* CARD. ILLVSTR. *euentus nō defuit. Et quò difficilior res illa multis viſa eſt, eò iam maior omnium animos tenet admiratio, offundit lætitia.* Virtuti Fortuna obſecundauit, *quam vt à Deo petendam aiunt mortales, ſic à ſeipſo ſumendam eſſe ſapientiam. Quæ tua opera, & induſtria,* CARD. ILLVSTR. *fuerit, quæ ſollicitudo & mora in capienda, domandáq; vrbe Rupellana, nemo neſcit. Non ferro tantùm*

ſed & prudentia, capiuntur vrbes. Marti ſæpe comites Muſæ. Neque enim viribus ſolùm, ſed multò magis ratione, ac conſilio res magnæ geruntur. Ob tantæ rei tam felicẽ ſucceſſum inprimis Deo Opt. Max. gratiæ agendæ erant: gratulandum Regi Chriſtianiſsimo: gratulandum tibi, gratulandum cunctæ Franciæ. Huius autem lætitiæ publicæ, ac gratulationis, cùm tibi poſt Regem gratiæ non paruæ debeantur, gratulatoriam hanc Orationem ſeu mauis gratiarum actionem, habitam in regio Gymnaſio, Illuſtriſsimi nominis tui tectam præſidio, in manus hominũ peruenire in primis cupiui; vt intelligeret poſteritas quæ tua in cauſſa,

Regis & Regni fuerit mens, quæ cura, qui labor in capienda ea rupe quæ inſtar ſcopuli res cunctæ Franciæ morabatur, quam ſi tibi, Card. Ill. non diſplicere intellexero, non malè operam mihi poſitam putabo.

Illuſtriſs. tuæ Dignitati addictiſsimus Cliens

P. VALENS Græc. liter. Profeſſor Regius.



DE RVPELLA RECEPTA ORATIO.

FREQVENTIA vestrûm incredibilis, A A. O O. concursatióque tanta, quantam meminisse non videor, & alacritatem mihi summam affert dicendi, & animum, ex nuper capta Rupella, omnium in animis exortam hodierno die apud vos lætitiam prædicandi. Tandem, tandem arx rebellium capta est, capta Rupes in litore Xantonico, quæ à tot annis,

tot Regum Christianissimorum, clarissimorúmq; Ducum acPrincipum operam, industriámq; eluserat. Frustra iam antea Franciscus II. Valesius, frustra Carolus IX. frustra Henricus Andium Dux Regis frater fortiss. Rex Sarmatum in castris designatus, frustra innumerabiles terra, maríq; copiæ classésque comparatæ eam tentarant. Tibi, LVDOVICE, Magni Henrici Filio inuictissimo, verè magno, iusto, pio, felici, laus hæc debebatur, qui fidissimi Achatis consilio, ac perseuerantia, quod à tot annis alij Reges parturiebant, tandem summis cunctæ Franciæ, orbísq; Christiani votis peperisti. Viue LVDOVICE Rex Christianissime, viue; qui quod ante te sperare magni Reges ausi non sunt, tu cura, labore, vigilijs, ac patientia incredibili fe-

liciter effecisti. Varijs procellis hactenus Francia tua quassata fuit, variâ fortunâ post conditum, constitutúmq; in Gallijs Francorum regnum, vsa est, sæuis prauarum opinionum ventis iactata: sed tu Rex inuictissime, Magni Henrici suboles inclyta, his malis, quibus Francia per tot annos vexata fuit, tollendis, tranquillandísque natus es. Tu Franciam captâ Rupellâ tuam, inuicti animi robore, in portu collocasti: Tu vrbes infinitas, quæ hactenus in varijs regni tui Prouincijs dulce obsequij iugum excusserant, vt parerent, coëgisti: Tu de religione auita patrum bene sentientibus, capta perduellium arce, quasi vexillũ ad bene de religione sperandum ante paucos dies extulisti: Tu præfracta ceruice homines in gyrum rationis reduxisti: Tu

hoc facto tuo, quod omnes anni consequentes celebrabunt, radices stultarum opinionum euulsisti; Tu Franciam tuam pristino splendori suo armis tuis rursus asseruisti. Iam ab hinc annis pæne duodetriginta, cùm lucem hanc aspicere primùm cœpisti, de te recèns nato, Magne Rex, ominatus sum, fore, vt exẽplo proauorum tuorum palmas ex Idumæa aliquando referres, signa tua supra Tigrim, & Euphratem proferres. Hæc anno M. DC. II. in lucem edita de te adhuc in cunis vagiente, magno hominum literatissimorum concursu in Aula Gymnasij Rhemensis palam dixi. Te nimirum Diuorum Cosmæ ac Damiani festo in lucem hanc editum, susceptúmq;, κόσμου fore κοσμήτορα, cuius lux eas terras aliquando illustratura esset, quas S. LVDOVICVS

proauus tuus olim numeroſo cum exercitu Francorum, Fidei Chriſtianæ propagandæ cauſſa peragrauit. Hæc omina iam tum ore meo prolata, hæc auguria, annon aliquando rata erunt? Annon ſplendor nocte illa qua è bulga matris exibas in nemore Fontis Bellaquæ effulgens, claritatem rerum à te gerendarum iam tum portendebat? Numquid iam ante annos aliquot illuſtria virtutis tuæ ſpecimina dediſti? Numquid virtuti tuæ fortuna coniuncta eſt? Numquid iure merito LVDOVICVS, Pius, Felix, ac Fauſtus appellari debes? Quis enim LVDOVICO Rege noſtro iuſtior? Quis fortior? Quis pietate erga Deum, quis felicitate in reb⁹ gerēdis præſtantior? Quis in laboribus ferendis patientior? in aduerſis animi magnitudine tolerantior? In rebus

prouidendis perſpicacior? ad pericula adeunda peritior paratiórq;? Quot oppida ſuperiore expeditione cepit? quot expugnauit? quot in ditionem ſuam armis redegit? Benearniam totam breuiſsimo tẽporis ſpatio ab erroribus in rectam viam reuocauit: Fidem Catholicam Apoſtolicam, & Romanam annis quinquaginta exulãtem reſtituit: Antiſtites in ſedes ſuas repoſuit: ſacra in ijs oris prorſ9 exſtincta rurſus excitauit? Ita leniter, ita iuſtè, ita clementer ſe geſsit, vt lenitas ipſa, vt iuſtitia, vt clementia in eas terras veniſſe viderentur. Sed neque hîc virtus eius ſubſtitit. Alia longè maiora ſecum meditatus eſt Rex ſanctiſsimus. Neque vnam aliquam partem, vt mali Medici ſolent, ſed vniuerſum corpus regni, priſtinæ valetudini reſtituendo

vult

vult curare. Nouum ad bellum se Rex comparat; opus omnium difficillimum aggreditur, & quod vires omnes humanas superare videbatur, id consilio, cura, labore, tolerantia, patientia, & ærumnis multis tandem effecit. Copiæ terra marique parantur, dilectus tota Gallia habetur, legiones fortissimæ conscribũtur, classes parantur, belli machinæ ac tormenta vndique cum comeatu, & impedimentis trahuntur. Nerui ad rem tãtam feliciter, nauitérque efficiendam suppeditãtur, duces exercitûs, copiæque pedestres, & equestres proficiscuntur. Sed quò? in oras sanctonicas. Quo cõsilio? Vt Rupella, omni saxo Sicano durior, obsidione cingatur, arctetur, capiatur. Quid fit? Vrbs in suam perniciem pertinax vndique vallatur, cingitur, obsidetur, moles

ingentes & propugnacula fiunt, castra campidoctores ad eam metantur, cuniculos agunt, ita omni ex parte circumuallant, vt nulla ſpes opis, auxiliíque ferendi illis oſtendi videatur. Interim lapidem omnem mouent obſeſſi, vt & Regis optimi inuictiſſimi, iuſtiſſimi, Domini ſui conatum, & induſtriam eludant: vt Cardinalis Illuſtriſſimi ſapientiſſimi, religioſiſſimi conſilia diſturbent. Sed quid factum eſt? ſibi vt turdi ſolent, malum arceſsiuerunt Anglobritannos, veteres Franciæ hoſtes in partes vocant: Bouquincaniæ Dux cum claſſe inſtructa & ornata Oceano ſe committit, in oras iſtas nauigat, Rupellam cum aurata lectica inuchitur, Ducem illum ſpecie inſigni, & forma præter cæteros egregia Rupellani ſuſpiciunt, admirantur ado-

rant: in eo ſpes omnes ſuas, præſidiáque miſeri collocant. Sed quid fit? Capto cum Rupellanis conſilio Ream inſulam in propinquo ſitam petit, cingit, adoritur tormentis quatit, inuadit. Propugnaculum in quo Thoraſius vir Nobiliſſ. fida in Regem. Patriamque ſuam Thorace indutus, Bouquincanus cingit, Thoraſium ad colloquium euocat, vndique locum illum munitiſſimum obſidet, Thoraſium egregio in regem ſuum animo, fide in Patriam cariſſimam cognita ad deditionem ſollicitat, obſeſſum vndiq; tenet, fame, & inedia premit. At quis rerum exitus? Quid rei? Quid ſpei? Anglus iam ſpe non inſulam iſtam modo, ſed Aquitaniam, ſed Pictoniam, ſed cunctam (vt verbo dicam) Franciam deuorabat. Verum quis tantæ fiduciæ, ac ſpei

euentus? Miſer,& infelix,malè Anglus calculum poſuit. Cumque iam omnia tenere ſe malè ſibi perſuadebat, conciſus, fuſus, fugatus, aquis merſus, cum ſummo dedecore, amiſsis ſignis, tormentíſque belli, non ſine inſigni clade ad rupes Albionis rurſus nauigare coactus fuit. In ipſo conflictu & ardore pugnæ clamabant Angli Anglicè *kill. kill* vociferabãt Franci Francicè *Tue, Tue*. Ibi Francium *Tue* vicit Anglirum *kill*. In rebus anguſtis, ac pæne deſperatis de cœlo auxilium ſubitò adfuit, Illuſtriſsimi Cardinalis ſumma prudentia tunc velut lucidum è cælo aſtrum, eluxit. Eius hortatu, Regijs auſpicijs, cum res ſub acie nouaculæ conſtituta eſſe videretur, ſcaphæ & comeatu, & egregijs militibus ornatæ & inſtructæ in inſulam inuito, ac ſæuiente

Neptuno transmiserunt, Thorasio in extrema fortuna posito opem, auxiliúmque tulerunt, εὑρετὶς μὲν ἄρα ἐστὶ λογισμῶν ἡ ἀνάγκη. Fata viam inuenerunt. Frustra, venti tunc, frustra procellæ, frustra Neptunus excandescens murmurabat. Quò maius periculum apparebat, eò alacriori animo, vt Regi suo, patriæq; inseruirent, per medios fluctus enatarunt. Neque Leander olim ad Heronem dominam & amicam suam Abydo Sestum inter sæuos fluctus maiore animi cupiditate natauit, quàm tunc milites nostri ad opem in dubijs rebus Thorasio ferendam, paruis in cymbis scaphísque summo vitæ discrimine transmiserunt. *Vicit amor patriæ laudumque immensa cupido.* Vir timidus in reb. dubijs nauci non est, vir bonus, suo periculo patriæ periculum remoratur.

Dicam hic A A. O O. & Audacter dicam de noſtris militibus, quod ſcripſit olim Romanæ hiſtoriæ ſcriba clariſsimus. *Magnitudinem P. R. aduerſis propè rebus admirabiliorem, quàm ſecundis fuiſſe.* O quàm præclarè, quàm fortiter apud ſummum Poëtam, Sibylla magnum heroa ad fortiter audendum hortatur:

Tu ne cede malis, ſed contrà audentior ito
Quà tua te fortuna ſinet, via prima ſalutis,
(Quod minimè reris) Graiâ pandetur ab vrbe,
Sed nos meliùs, *Cælo pandetur ab alto.*

Conſilio & hortatu illuſtriſsimi Cardinalis, Rege Chriſtianiſsimo id maxime vrgente, noſtri milites, quod fieri poſſe non videbatur, ma-

gno Regis, & Regni bono effecerunt, in insulam Reacensem fidenti animo traiecerunt, ô quàm verè olim dixit, quisquis dixit, *Volente Deo vimen est ratis loco.* Thorasium annona subleuant, cum Anglis configũt, Anglos in fugam vertunt, Anglos per ponticulum fugiẽtes more suum demergunt, plurimos trucidant, signa plurima capta ex illo prælio reportant: insulam Anglicis molossis liberant: Omnem Franciam illo die præter spem, noua spe, lætitiáque implent: ita Anglorum classis, ita Bouquincanius heros, ita comites eius pręda è faucibus erepta, re infecta pudore suffusi in Britanniam sparsis per oceanum ratibus fluctuantes redierunt. Lætare ô Francia hac tanta de cœlo demissa victoria, lætare tanto, támque felici, ac iusto rege, ac prin-

cipe, lætare tanto Cardinale, tam fido Æneæ noſtri id eſt Regis Chriſtianiſsimi Achate, cuius conſilio, & opera factum eſt vt Arx iſta perduellium morando, cunctando fortiter omnia patiendo caperetur, vt Rupicones iſti, & petrones, vt peruicaces ad inciras redacti in manus optimi, iuſtiſsimi, clementiſsimiq; Regis poſt diuturnam obſidionem inedia cõfecti venire fuerint coacti. Sed quis poſitas ad Rupellam ingentes moles, quis valla, & foſſas, quis propugnacula non admiretur? Quis non obſtupeſcit, qui frenum Neptuno ſæuienti à Rege noſtro impoſitum vidit? Qui aggerem in mari exſtructum cernit? Qui litora hinc inde coniuncta non ſine admiratione cõtẽplatur? Flumina ad caput ſuum priùs reditura fuiſſe dixiſſe? quàm Rupellam

claudi, ac capi poſſe. Sed docuit Rex noſter nihil eſſe tam difficile quò mens eius non euaderet, nihil tam altè poſitum quò diuina virtus eius non eniteretur? Achiui X. annos ad Troiam hæſerunt: Et dolo tandem, quam virtute non poterant, vrbem ceperunt: Mummius Corinthum in Achaia deleuit: Hannibal Saguntum vt ad extrema deſcenderet, coegit: Scipio Africanus minor Carthaginē imperij Romani æmulam éxſcidit. Alter Scipio Numantiam excîdit: Archidux Auſtriæ Albartus Iſabellæ Claræ Eugeniæ maritus, in capienda in litore Flandrico Oſtenda vltra triennium conſumſit: Ambroſius Spinola rerum geſtàrum gloria clarus, X. menſibus Bredanam vrbem in Planitie ſitam arctiſſimè obſeſſam ad deditionem coëgit: Rex noſter

LVDOVICVS, cuius memoriam postera celebrabit ætas: Cuius res gestas fama loquetur anus, cuius diuinas virtutes quàm diu erũt homines, prædicabit posteritas, Rupellã ingenio loci munitissimam, Rupem durissimam in litore, Xanctonico sitam diuino suo consilio, labore, ac patientia, vt frænos acciperet, post annuam obsidionem coëgit: cunctam Franciam, vna hac capta perduellium arce, cepit: Rupe peruicasissima expugnata, quidquid vsquam pertinaciæ est, expugnauit. O factum benè! ô facinus præclarum omniũ literis ac linguis prædicandũ! Obiectum olim Epaminondæ Thæbenorum Imperatori clarissimo, quod liberos ex se nullos reliquisset, at is inquit, immo filiam nobilissimam Leuctricam victoriam, qua nulla præstan-

tior proles contingere potuit, reliqui. Rex noster annon optimo iure (cuius labos cunctæ Franciæ summam lætitiam peperit) Rupellam ex se si non naram, certè renatam, gloriari potest? Hanc ex se renatam Deo bene iuuante Delphinus patri suo, Delphino Regi (quod omnibus votis nobis est optandum) sequetur Regni hæres. Agnoscat deinceps Rupella Regem suum, colat vt parentem, vt patrem Patriæ veneretur, eique vitam & salutem debere, quod iugo seruitutis hereticæ liberata sit, quod à recta fidei semita per tot annos deuia, nunc in rectam fidei, ac pietatis viam redacta sit publicè, ac palam omnibus gentibus testetur. Rupella in Sanctonum finibus, maris oceani fluctibus paludibusque tuta, quid aliud ab annis sexaginta

quibus obſequij iugum ſceleratè excuſsit, quam arx hereticæ prauitatis? Rupes pertinaciæ? piratarum ſpelunca? Peſtilentis doctrinæ ſentina? Caluinianæ ſectæ Aſylum, & Petra ſcandali? Habes modò Rupella, quo læteris: Deo Opt. Max. ac Regi tuo graturleris, qui te inuitam, ac reluctantem poſt diuturnam obſidionem, fortuna tam fortunata, felicitate adeo felici mactauit. Signa diem illum meliore lapillo, quo è miſerrimæ Caluini ſeruitute ereptam te Rex Chriſtianiſſimus, veræ libertati Eccleſiæ, & Francicæ fidei antiquæ rectæ & intemeratæ reſtituit: gratias age Deo, quod Euangelij vallum, vt Miniſtri Satanæ appellabant, ſolo æquauit: gratulare Regi tuo, qui te præſentia ſua voluit honeſtare; mœnia tua cum ingenti nobilium co-

mitatu introire : gaude ô Rupella gaude, quod oculis tuis eum Cardinalem vſurpaſti, purpuram eam, coccumq; adſpexiſti, quod te Regi tuo benignè reconciliauit : gaude, quod mœnia tua, vrbs tua, templa tua à tot annis polluta, ſcelere nefario, & inexpiabili violata, Rex ſanctiſsimus per tantum Cardinalem, cuius virtus, & ſapiẽtia cuius in Regem ſuum amor, in cariſsimam patram caritas, nulla ætas ex animis Francorum debebit, rurſus expiauit : omni religione, qua obſtricta eras, ſoluit : rem diuiuam in templo S. Margaritæ pietatis omnis margarita fecit : glaucomam qua oculi tui obtecti lucem Catholicæ veritatis non cernebant, amouit. Gaude inquam, & diem illum vt ſupra tetigi, *ſigna meliore lapillo.* Sapient in poſterum, vt ſpero, & quidem damno ſuo, vt phryges, quæ pœ-

nitentia etſi ſera, non minùs tamen quàm ſera gratulatio, erit reprehendenda: At ſcelerum, & nefariorum conſiliorum Miniſtri, qui infelici Popello impoſuerũt, eò vbi ne Pelopidarum quidem nomen auditur, erunt amandandi. Franciſcus II. Valéſius ſalutaribus propoſitis edictis eos in viam ſalutis conatus eſt reuocare, at renuerunt: Carolus IX. anno M. DC. LXXII. Edicto ad eos miſſo, vt Bironio Tribuno militum parerent, imperauit, at monita regis ſpreuerunt: Henricu III. Francorum & Polonorum Rex nullis precibus nullis monitis, nullis promiſſis, nullis minis, vt in poteſtate, ac fide regis ac regni eſſe vellent, potuit efficere: Rex noſter LVDOVICVS XIII. D. LVDOVICI expreſſa imago, Iuſtitiæ, ac pietatis propago, vt tedire in

viam ſalutis vellent, blandè inuitauit; at miſeri, & infelices, magno ſuo damno iuſtiſsimi, optimique Regis imperium detrectarunt. Sed quid tandem tot impenſis, tot machinis, tot molitionibus, tot curis & ærumnis, tot uigilijs effectum eſt? Ex liberis, & ciuibus facti ſunt dedititij: vi coacti, ad extrema deſcenderunt, qui ſi potuiſſent, Anglis ſeruire turpiter, quàm regi ac Domino ſuo honeſtè parêre maluiſſent. Sed ſuaue illis perire fuit qui ſi voluiſſent, ſalui omnes eſſe potuiſſent. At inuitos & nolentes quis ſeruet? Inuito beneficium quis vnquam dedit? Rex optimus, cui non minor vincendi, quàm ignoſcendi gloria cordi eſt, ſupplices ad pedes ſuos iacentibus condonauit: iniurias omnes ſempiterna memoria deleuit: veniam peten-

tibus dedit : vitam, ſalutem, libertatem, fortunas omnes reſtituit. O bonitatem admirabilem! O clementiam literis monumentíſque poſteritati prodendam! Sciebat Rex opt. nulla re propius ad Dei naturam accedi, quàm victis parcendo. At obſtupeſcent poſteri hæc legentes, tam vilia mancipia, tam horrida in regno Franciæ humaniſsimo, cultiſsimóque quod ſolum monſtris olim carebat, noſtrâ memoria reperta eſſe monſtra. Hæccine Lutheri, & Caluini præclara dogmata! Hoc Euangelij vallum! Hæc pietatis ara! hic virtutis honos! Coniurare in caput Principis, eiurare omne obſequium, nullis legibus diuinis, ac humanis parêre velle: Poteſtati à Deo conſtitutæ pertinaciter obſiſtere: noua ſemper bella ſerere & gerere; nihil

præter

propter cædem ac ſanguinem ſpirare? Súſque déque omnia vertere; Aras & templa euertere vaſa ſacris miniſterijs deſtinata poluere, veſtes ſacras ſacrilegis manibus contaminare; omne ſacrum ac ſanctum violare? Sed quid obductas ſuperiorum temporum cicatricès refrico? Quid hæc tam impia, & neſanda hic reuoluo? Maiori curæ eſſe nobis debet, quemadmodum Regi noſtro Chriſtianiſsimo, non modò de cuncta Francia, ſed de vniuerſa Eccleſia Chriſtiana optimè merito gratias agamus, quàm quemadmodum perduellium iniurias, nefariáſque in Regem ſuam, molitiones, pertinaciámque hîc longiore oratione perſequamur. Obuiam eamus Regi victori, omnium qui vſque ſunt virtute, ſapientia, Iuſtitia, ac clementia

principia: ſi gtatulemur, & multorum dierum ad omnia puluinaria ſupplicationes decernamus: Ei ſtatuas erigamus, eius in exſtirpando ex agro Eccleſiæ errorum lolio labores, omnibus literis ac linguis proſequamur. Sit infixa animis omnium ciuium, tot acceptorum à Rege noſtro Ludouico Chriſtianiſſimo pio, iuſto, felice, inuicto ſempiterna beneficiorum memoria, Cui, quod Francia ad priſtinam gloriam, dignitatémque refloreſcit, ei vni debemus. In occurſum ei veniat Sacerdotum ſanctiſſimus ordo: obuiam procedant equites. Ampliſſimus Senatorum ordo Principi ſuo occurrat, Prætor Vrbanus, Ædiles, populus Pariſienſis, & regem ſuum fauſtis acclamationibus excipiat: acclament omnes viuat Rex, viuat rebellium

domitor, viuat Rupellæ victor, viuat hæreticæ prauitatis exterminator LVDOVICVS. *De nostris annis, illi Deus augeat annos.* Dies ille quo regem suum agnouit Rupella, Dies quo in Castro Saliceti deditionis conditiones, & capita scripta sunt, à rege, & sigillorum custode, & Rupellanis suscripta: Dies quo Rex optimus Rupellam ingressus est: Quo sol clementiæ regiæ illis illuxit, Dies quo Rex Lutetiam victor ciuilis dissensionis, hæreseωn exstinctor, ocij & tranquillitatis compositor cum Pompa regredietur conspectu iucundissimo ac vultu maiestatis pleno ciues Parisienses, incolásque omnes recreabit, ad æternam posteritatis memoriam in fastos erit referendus. Sed quid? Academiáne Parisiorum, stirps Imperatoria, Caroli Magni proles

Regum Franciæ incrementum in officio cessabit? Regi suo Christianissimo, optimo, iustissimo, pietatis cultori religiosissimo, obuiam in purpura non ibit? Ab sit, vt illa in publica lætitia vniuersæ Franciæ, in officio claudicet. Omnes ordines Academici chori, omnes nationes, Tribus omnes regi suo victori obuiam procedant: Rector amplissmus, Decani omnes, Prouinciarum Procuratores cum adiunctis comitibus in purpura; Scribæ accensi, lictores, Bedelli (vt appellant) cum clauis auratis, & argenteis, cum fascibus laureatis, & insignibus splendido comitatu, ac visendo Regi suo gratulabuntur: Regem suum salutabunt fausta omnia, feliciáque ei omina precabuntur, versibus, hymnis, carminibus, Doctis Dictis, Iupiter, & la-

boriosis Regem suum Regni pacificatorem, pristinæ gloriæ ac splendoris, dignitatisque Francorum restitutorem Musarum Apollinem, & alterum Herculum μουσαγέτην celebrabunt. Quid? An te Cardinalis Illustriss. indictum præteribunt? Téne silentio inuoluent? Quæ tam ingratæ literæ, quæ, tuam Regi tuo, Patriæ tuæ in obsidione diuturna, ac periculosa strenuè nauatam operam, exantlatos pro cõmuni salute labores, susceptas curas, ac cogitationes non prædicent? Non illustrib⁹ ornatas scriptis, non victuris chartis memoriæ hominũ tradant sempiternæ? Tu magne Cardinalis regi tuo in Castris quod olim in prælio Actiaco Cæsari Octauiano Augusto M. Agrippa, exstitisti. Verè Richelius diuite loco & penu sapientiæ abundans verè

ARMANDVS in pertinaciæ rupem eras armandus, qui armis ingenij tui eam expugnares.

Prima profectò

Jnuicto regi Lodoico debita palma est,
Sed tua ô Antistes deposcit cura secũdam,
Cõsilio, atq; armis rupẽ cepistis iniquam,
Rupem prædurã cautesque in littore Ponti,
Sanctonici insuetas Regi parere benigno,
Tu cum Rege pio docuistis.

Habent hîc quod discant cæteri perduelles, habent quod discant Montalbanenses, Castrenses, Nemausenses: Habent quod discant alia municipia, & oppida, quæ contra omne ius, & fas in regem ac Dominum suum, in Principem sibi à Deo datum scelerata arma ceperunt: habent inquam quod discant exemplo Rupellensium, qui peruicariæ suæ pœnas, leuiores

forte quam delictorum atrocitas exigebat, dederunt, tamen quæ alios vt ſapiant, erudire mehercule poſſunt. *Feliciter ſapit, qui alieno periculo ſapit:* Nemo, vt ait Stoicus homo, læditur, niſi à ſeipſo. Quæ cum ita ſint, videte quæſo, quot quot animorum peſte miſerrima correpti eſtis, vt cum Deo cum Eccleſia orthodoxa cum rege veſtro, cum patria veſtra communi omnium parente ſanctiſsima in gratiam redeatis, videte inquam, & rebus veſtris maturè prouidete, neſi pulcherrimam occaſionem oblatam vobis, amittatis, pro Rege optimo clemedtiſsimóque, iuſtum, ac ſeuerum: Pro parente, mitiſsimo leniſsimóque Dominum immitem & acerbum pro benefactore criminum veſtrorum, vltorem, vindicémque rigidiſsimum

experiamini. Sed qui-nam iſti tam maléferiati, qui regem optimum, leniſsimum & clementiſsimum vt crudelem timent? Regem qui, vt Agamemnon apud opt. Poëtam populum ſuum ſaluum quàm perditum mauult? σαὸν ἔμμεναι μᾶλλον ἢ ἀπολέσθαι; Is ergo vt immitis timetur, qui cum Rupellanos macie & inedia confectos cerneret, à lacrumis ſibi non potuit temperare, cui hoſtium crudeliſsimorum fortuna afflicta lacrymas potuit elicere? Cur quæſo apicularum regem, ſollers Natura abſq;, aculeo procreauit, niſi bonitatem clementiámque Regis nobis hac re ſignificare voluiſſet? Sed audiamus quid de iuſto Rege ſcribat D. Baſilius ἔστι μὲν γὰρ κέντρον τῷ βασιλεῖ, ἀλλ' οὐ χρῆται τούτῳ πρὸς ἄμυναν. Habet quidem aculeum rex, ſed ad vlciſcendum

eo non vtitur. Qui quæſo is in ſuos ſæuiret, qui totus ex lenitate & miſericordia compactus eſt? Qui rebelles captos annonâ ſtatim adiuuit? Qui decies mille panes cum primùm portæ paterent, immiſit? Rex Pater populi, Rex Paſtor, Rex vt ſcribit Dio Pruſæus, τῶν ἀνθρώπων σωτήρ. Quid? Rex noſter quo nemo lenior, nemo clementior, nemo pietate, ac Iuſtitia illuſtrior, annon optimo iure, Pater Patriæ, Paſtor populi, & ſeruator hominum appellandus eſt? Interrogatus nuper à neſcio quo Rupellanæ vrbis Ædilis Maior Regémne mallet LVDOVICVM Francorum, An Carolum Anglorum, reſpondiſſe fertur eum ſe malle à quò vi & mora captus eſſet quàm qui X menſibus. integris cum omni claſſe ſua, ne bucellam quidem panis in vrbem

fame & inedia pallentem importasſet. At vtinam Maior ille quiſquis ſit, vtinam Rupellani ante annum, ſtantibus integríſque eorum rebus regem ſuum agnouiſſent! Vtinam mentes ſuas toties moniti, toties ad obſequium inuitati, ad meliora flexiſſent, in calamitates in quas inciderunt poſtea, minimè incidiſſent, tot cædes ſuorum, tot cadauera, tot fame conſumtos ciues non vidiſſent, humanas carnes (vt rumor eſt) non guſtaſsēt. Sed cornicū oculos ſe poſſe configere ſtultè ſibi perſuadebant, ſeruitutis iugum, vt putabant excutere, qui miſerrimam, niſi Rex opt. eos cepiſſet, ſub Anglorum faſtu ſeruitutem ſeruiuiſſent. Sed male ſapit qui plus legibus ipſis vult ſapere. Magno veſtro damno ô Rupellani, ſed ſerò ſapuiſtis. Agite gaatias Deo, agite

gratias Regi veſtro, per quem, quæ pertinacia veſtra & perduellionis crimine amiſeratis, ſingulari bonitate, ac clementia retinuiſtis vniuerſa: Agite, inquam, agite gratias optimo, benigniſsimóque Principi, ac ſalutis veſtræ parenti quod ex ſuperiorum annorum caligine, ac tenebris lucem tandem veræ libertatis ac fidei reſpicere cœpiſtis: Sapite impoſterùm magno veſtro damno, emergite tandem è ſcopulis errorum & peruicaciæ, coniungite vos cum ijs qui bonas partes ſemper ſecuti ſunt: abrumpite vos ab ijs, qui neque Deo, neque regi ſuo, neque veræ religioni parere volunt, ſi florentes, beati, ac felices viuere in penatibus veſtris impoſterum vultis. Nos verò. A A. H. H. Preces Deo Opt. Max. fundamus vt Re-

gem optimū, iustissimum, clementissimum diu saluum & incolumem, populo suo seruet: Prole mascula, summis cunctæ Franciæ votis beet, Regnum Christianissimum semper florens esse velit, Populum obsequentem, subditósque, (vt fas est) parentes det, vt hoc pacto votis, animisque coniuncti, & Deo, & Regi concordibus animis mentibúsque seruiamus.

